9

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

VERA MEDENDI METHODO IN GENERE

QVAM

AVTORITATE

FACVLTATIS MEDICAE

IN

CELEBERRIMA NORIMBERGENSIVM ALTORFINA

PRO

OBTINENDO SVMMO DOCTORIS GRADV

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPONIT

AD D. XXIV. IVLII A. MDCCXXXVI.

OANNES FRIDERICVS RVBELIVS
PRACTICVS BARVTHIENSIS.

ALTORFII
LITERIS VIDVAE MEYERIAE.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30779649

§. I.

RAtio, Germanis, der Grund / eſt id, ex quo cognoſcitur, cur alterum ſit.

§. II.

Qui ſibi rem aliquam diſtincte repraeſentat, illum ex ratione (1) repraeſentare, manifeſtum eſt.

§. III.

Scientia eſt habitus, aſſerta ex diſtinctis et certis notionibus (2) demonſtrandi.

§. IV.

Medicina eſt ſcientia (3) de ſtatu corporis humani viventis, tam naturali, quam praeternaturali, cur & quomodo mutari poſſit, nec ne?

§. V.

Ille igitur tantum nomen medici meretur, qui habitum poſſidet, de ſtatu naturali et praeternaturali eorumque mutationibus (4) rationem reddendi, i. e. ex diſtinctis et certis notionibus (3) demonſtrandi.

§. VI.

Si corpus humanum in ſtatu naturali (4. 5.) ſe habet, dicitur eſſe ſanum.

§. VII.

Per ſanitatem igitur intelligo, potentiam corporis humani viventis, omnes ſuas actiones decenter exercendi.

§. VIII.

Si vero corpus humanum conſideratur, uti in ſtatu praeternaturali ſe habet, dicitur morboſum.

§. IX.

Morbus igitur eſt impotentia corporis humani vi-
ventis, actiones ſuas decenter exercendi.

§. X.

Quot modis corpus humanum conſiderari poteſt,
tot novae diſciplinae inde oriuntur.

§. XI.

Doctrina, quae de ſtructura, ſitu et connexione
partium corporis humani, agit, dicitur Anatomia.

§. XII.

Ea vero diſciplina, quae de ſtatu naturali (6.7.)
corporis humani, earumque partium uſu, quae corpus
conſtituunt, mentionem facit, appellatur Phyſiologia.

§. XIII.

Illa doctrina, quae docet ſtatum naturalem (12)
conſervare, audit Hygiene. Quo imprimis pertinet
uſus ſex rerum non naturalium.

§. XIV.

Doctrina, quae de morbis eorumque cauſis, i. e.
de ſtatu praeternaturali agit, nuncupatur Pathologia.

Scholion.

Per cauſam morbi intelligimus omne illud, quod morbum praeſentem efficit; eſt vero illa vel α) immediata, vel β) mediata proximior, vel γ) mediata remotior.

§. XV.

Ea doctrina, quae ſigna ſuppeditat, ex quibus morbi (9) cognoſcuntur, dicitur Semiologia.

§. XVI

§. XVI.

Doctrina, quae corpora eorumque phoenomena et mutationes pertractat, appellatur Phyſica: et ſi hoc practice fit, Chimia.

§. XVII.

Per Chimiam igitur intelligimus artem, mutationes corporum ex regno Animali, Minerali et Vegetabili, eorumque phoenomena, cognoſcendi et producendi.

§. XVIII.

Doctrina, quae de actionibus medicamentorum, i. e. de eorum effectibus loquitur, audit Materia Medica; quae vero de doſibus et praeſcribendis formulis agit: Formularis dicitur.

§. XIX.

Ea doctrina, quae de rite eligendis remediis, praeſentem ſanitatem conſervandi et amiſſam reſtituendi agit, appellatur Methodus Medendi.

§. XX.

Punctum igitur centrale, ſcopusque ille unicus, in quem omnes diſciplinae a §o XI. usque ad XIX. enarratae, quaſi in lineam circularem collineant, eſt ultimato Methodus Medendi, ſeu Therapia.

§, XXI.

Cum ſcientia (3) ſit habitus, aſſerta ex diſtinctis et certis notionibus demonſtrandi, ſequitur eum non habere Methodum medendi ſcientificam, ſeu, ut alii dicunt, rationalem, qui non ex diſtinctis et certis notionibus demonſtrare poteſt, cur et quomodo haec vel illa medicamenta ſint eligenda, ut ſanitas vel conſervetur, vel amiſſa reſtituatur.

SCHOLION.

Sole igitur clarius eſt, quid per Pſeudo-medicos et Empiricos intelligatur.

§. XXII.

Vt hoc vero, quod §. XXI. diximus, decenter efficiatur, medicum inſtituere ac intueri, neceſſe eſt ante omnia, Indicantia, Indicationes, et Indicata.

§. XXIII.

Indicans in foro medico audit omne illud, quidquid ſit, quod medicum vel ad morbi cauſam, vel ad ſymptomata, tam praeſentia, quam futura ducit; e. g. ſi adeſt plethora, ſi adſunt vires, ſi deliria &c.

§. XXIV.

Indicatio vero eſt concluſio, ſive argumentatio, quae immediate ex Indicante (23) ſequitur, e. g. ſi adeſt plethora tanquam indicans, (ib.) eſt indicatio, ergo fiat imminutio ſanguinis &c. ergo Indicatio docet ſemper, quid faciendum.

§. XXV.

Per indicatum intelligitur ſemper remedium, quod ex indicante et indicatione, (23, 24) tanquam ex praemiſſis, oritur. e. g. Si adeſt plethora tanquam indicans, imminutio ſanguinis inſtar indicationis; tunc eſt indicatum Venae Sectio.

§. XXVI.

Omne id, quod apperte indicationi (24) repugnat, dicitur contraindicans.

§. XXVII.

Ex hiſce allatis ſequuntur quaedam axiomata et conſectaria, quae magnam utilitatem in praxi habent.

AXIOMA

Axioma I.

Quicquid naturale in corpore humano, illud eſt conſervandum, quo pertinent omnes actiones naturales, e. g. ſecretio excretio, ſomnus et fœtus &c.

Consectar. I.

In omnibus igitur morbis medicus excretiones, quae fiunt vel per tranſpirationem, vel per urinam, vel per alvum, attendere et reſpicere debet.

Axioma II.

Quicquid praeternaturaliter haeret in corpore humano, illud eſt vel alterandum, vel, ſi fieri poteſt, penitus auferendum.

Axioma III.

Eſſentia verae medendi methodi (19) *conſiſtit, in accurata verarum indicationum* (24) *inventione, et dextra executione.*

Consect. I.

Haec vero dextra executio conſiſtit in legitima electione indicatorum, i. e. remediorum (25).

Consect. II.

Diſtinguendum eſt inter veras et erroneas indicationes. (24)

Axioma IV.

In corpore phyſico nulla alia mutatio fieri poteſt, quam per additionem et ſubtractionem.

Consect. I.

Sequitur igitur, jam ſaepius repetitam executionem conſiſtere, vel in addendo, vel ſubtrahendo : illud peragitur alterando, hoc evacuando.

Consect. II.

Summa igitur prudentia et circumſpectio medici eſt, ut ponderet, quid, quomodo, et ubi, addere vel ſubtrahere debeat?

Con-

Consect. III.

Evacuationes nunquam inſtituendae ſunt, niſi materia evacuanda ſit mobilis, et viae ſint apertae.

Axioma V.

Similia ſimilibus conſervantur, et contraria contrariis curantur.

Axioma VI.

Excretio critica potius promovenda, quam intercipienda eſt.

Consect. I.

Ergo motus naturae in morbis conſiderare oportet medicum.

Axioma VII.

A principio occurendum eſt materiae morbificae et morbo ipſo, et quidem via breviſſima.

Consect. I.

Hinc falſa eorum hypotheſis patet, qui in febribus intermittentibus ſemper quosdam paroxyſmos ſtudio admittunt.

Consect. II.

Selectis et perpaucis medicamentis utendum eſt, in curandis morbis.

Axioma VIII.

Circumſpectus medicus a varietate remediorum abſtinere debet.

Consect. I.

Indicat enim vel ignorantiam cauſae morbi, vel remedii, illi proportionati.